

16  
1.  
16  
1.  
2.  
16  
1.  
2.  
16  
1.  
2.  
16  
1.  
16  
1.





1670.

1. Coch, Gerhardus: De bonis impuberis arrogati et  
quarta bonorum arrogatoris ei debita.

1668.

1. Vötkner, Franciscus: De successione.
2. Schuen, Christianus: De matrimonio et morganaticam

1674.

1. Meierus, Hieronymus: De pine.
2. Meierus, Hieronymus: De charta blanca.

1676.

1. Herden, Nicolaus: De privilegiatis immediatorum S. R. F.  
procerum instantibus vulgo de kurtzge.
2. Schuen, Hermannus: Nouothesia Anthon-Gunteriana  
glossata sive juris provincialis Rostingiae Trans-jadanae

1679

1. Rheden, Johannes, a: De alienatione

1692.

1. Tken, Conradus: De poenitentia in contractibus inuicematis



1695

1. Hupedensis, Wilhelms: De jure rusticatis

1702

1. Coccejus, Henricus: De jure circa nominum.

2<sup>ae</sup> Hupedensis, Wilhelms: De translatione jurium  
de p<sup>re</sup>dicti in haeredem 1<sup>o</sup> edit. 1702 et 1758

1708

1. Rheden, Casparus: De jure handfestario Bremensi

1711

1. Rheden, Casparus: De matrimonio conjugis altero  
conjugem atque vivente

1712

1. Rheden, Casparus: De emptione spei et rei speratae

1713.

1. Rheden, Casparus: De poena cogitationum

2. Rheden, Casparus: De differentia bonorum mobilium et  
immobilium.



1713.

3. Rheden, Casparus, a: De Carali II ... Romanorum  
Imperatoris . . . electione, coronatione et aliis,  
quae huc spectent.

1714.

1. Rheden, Casparus, a: De exheredatione absque eligio
2. Rheden, Casparus, a: De lege Julia miscella abrogata  
et de novo revocata
3. Rheden, Casparus, a: De virgine vidua et usque juribus.




1710. ...  
1711. ...  
1712. ...  
1713. ...  
1714. ...  
1715. ...  
1716. ...  
1717. ...  
1718. ...  
1719. ...  
1720. ...













1749.

N 40

MISCELLANEOBUM

*Juris Civilis*

DISPUTATIO QUINTA,

DE BONIS IMPUBERIS

arrogati, & quarta bo-

norum arrogatoris ei  
debita.

*ad l. si arrogator. 22. ff. de adoption. & l. 1. §. 21. de collat.*

DE QUA

JUVANTE DEO

Præside

GERHARDO COCH J. U. D.

& Pandectar. Profefs.

Respondet

JOHANNES AM ENDE

Bremens.

*ad diem 15. Januar. hor. locog solitū.*



BREMÆ,


Typis Bertholdi de Villiers scholæ typographi

Anni M DC XL.

37 21

3





V I R I S

*Nobili virtute & magnifica dignitate  
Spectabili*

**DN. CONRADO EDEN**

*Jurisconsulto celeberrimo, Inclutæ Bre-  
mensis Patriæ Senatori gravissimo, Ju-  
dici vigilantissimo:*

ATQUE

*Absoluta Eruditione & excellenti Juris pe-  
ritia Clarissimo*

**DN. NICOLA O**

**Blanken** in Archiepiscopali dica-  
sterio Bremensi causarum patrono fide-  
lissimo,

*Illi Avunculo Magno, hujus Affini; utriusq; favitori  
& patrono suo observantissime colendo, hanc disser-  
tationem in submissionis, reverentiæ & gratitudinis  
testimonium offert & inscribit*

JOHANNES am Ende  
Bremensis, Resp.







DISPUTATIO QUINTA,  
De bonis impub. arrogati, &

quarta bonor. arrogatoris ei debita,

Ad l. 22. ff. de adopt. & l. 1.

§. 21. ff. de collat.

*Respondente*

JOHANNE am Emden Bremensi.

---

TEXTUS LEG. 22. de adopt.

**S**I adrogator decesserit, impubere relicto filio adoptivo, & mox impubes decedat: an heredes adrogatoris teneantur? Et dicendum est, heredes quoq; restitutos & bona adrogati, & praterea quartam partem.

S. 1. Sed an impuberi adrogator substituere possit, queritur. Et puto, non admitti substitutionem: nisi fortè ad quartam solam, quam ex bonis ejus consequitur: & habtenus, ut ei usque ad pubertatem substituat. Caterùm, si fidei ejus committat, ut quandoq; restituat; non oportet admitti fidei commissum; quia hoc non iudicio ejus ad eum pervenit, sed principalis providentia.

---

A

I. 176





**I**mpuberis (qui olim arrogari non poterat: at nunc ex constitutione Pii Imperator. potest. *Gell. 5. noct. attic. 19. Ulp. in fragm. tit. 8 § 4*) arrogationem ita fieri, ut caveat arrogator (& quidem satisdator, h. e. datis fidejussoribus, *l. 1. ff. qui satisd. cog.*) personæ publicæ, si intra pubertatem pupillus decesserit, restitutum se bona ejus his, ad quos arrogatione non facta pertinuissent, scitum est ex §. 3. *Inst. de adopt. l. 18. ff. eod. l. 2. C. eod.*

2. Personæ publicæ, h. e. tabellioni (d. l. 18. meminit servi publici: cum id muneris olim servorum esset. v. *Connan. 2. commentar 2. n. 2. Arcad. & Honor. primi hoc munere servis interdixere. l. 3. C. de tabular.*) cavendum, non etiam servo proprio, ut censet *Vultej. in pr. Inst. de adopt. n. 6. sub fin.* Nam licet proprios servos stipulando adhibitos fuisse, certum sit. *l. 2. ff. rem pup. salv. fore. §. 4. Inst. de inutil. stipul. §. 1. Inst. de stipul. servor.* Tamen hoc casu non ipsi pupillo, sed aliis, h. e. in rem aliorum cavendum. Et rursus, cum incertum esset, quinam futuri essent illi, aut illorum quinam superstites essent futuri, tempore mortis pupilli, ad quos bona ipsius citra arrogationem pertinerent, etiam eorum nomine ad personas publicas devenitum est. Quod si vel pupillo cavendum, vel isti certi fuissent, utique vel hi ipsi, vel ille ipse, si modo potuisset fieri, sibi rectè stipulati fuissent. §. 9. & 10. *Inst. de inutil. Stip.*

3. Cautione tamen hac omissa, tacitè ea ipsi negotio inest; unde utilis ex stipulatu actio in arrogatorem competit. *l. 19. in fin. ff. de adopt. gloss. ibid. verbo, utilis.* quam malè reprehendit *Cynus in hac l. in pr. n. 10. in fin. nixus l. causâ cognitâ. 40. ff. de vulg. & pupill. subst.* Sanè directæ & utiles actiones non uno modo dicuntur jure nostro: ac fit, ut quæ uno sensu vocantur directæ, alio pro utili habeatur. *conf. tamen & Bach. in comment. ad 1. p. ff. pag. 213. n. 13.*

4. Prospectum autem est cautione ista, & libertatibus, quæ secundis tabulis datæ sunt, & substituto, & legatariis, & quando secundæ tabulæ antè haud factæ aut defectæ sunt, legitimis pupilli hæredibus. *d. l. 19. d. l. 40.* Insignis igitur est error *Antonii Frabri, cum in Jurisp. Papinian. tit. 10. princ. 1. d. lat. n.*  
ad



ad substitutum pupillarem negat utilitatem hujus cautionis pertinere. Equidem quod in *d. l. 19.* substituti servi mentio est, hoc eò pertinere cum ipso crediderim, ut & huic, quasi sero vo, h. e. ratione liberatis, per cautionem consulrum esse intelligatur. Nam id illatio J. Cti. multo magis, manifestum reddit. Sed hinc non rectè inferitur, substitutum pupillarem, quâ ralem, exclusum esse; quem & Papinianus *d. l. 40.* disertè comprehendit, & verba cautionis, ad quos ea res pertineret, aut, ad quos res perventura esset, si arrogatus permanisset in suo statu, evidenter includunt, ac id eò, quòd minus de hoc dubitandum, in *d. l. 19.* à J. Cto. præteritum esse, existimandum est.

5. Præter memoratam cautionem, dicta constitutione Imperatoris Antonini Pii iussus est arrogator, si pupillum vel exheredaverit, vel sine causa cognita emancipaverit, eidem relinquere quartam bonorum suorum, quam habeat præter bona, quæ ad ipsum transtulerit & quorum commodum ei postea quæsierit. *d. §. 3. Inst. de adopt. l. fin. ff. si quid in fraud. patroni. l. 8. §. 15. ff. de inoffic. test. l. 10. §. 6. ff. de vulg. & pupil. subst. h. l. nostra 22.*

Causæ autem justitiam in exheredatione requirimus, cum Cyno ad *h. l. 22. n. 17. Steph. Bodeo. in d. §. 3. Inst. Alhus. dicæol. lib. 1. c. 80. n. 13. contra Fabr. d. pr. 1. illat. 12. Bachov. in comm. ad Inst. d. §. 3. & ad prim. part. Pandect. pag. 215. & alios.* Nam pater immeritò juris sui detrimentum pateretur, & omnino contra bonos mores esset, si filius, in quo malitæ ætatem supplet, ob justas causas exheredari non posset, præsertim, cum & causa patri esse queat, cur eum vivus per emancipationem domo sua non exigat. Nec obest. *d. l. 8. §. 15. ff. de in offic. ubi J. Ctus ponit, arrogatum impuberem in querela, ad quam perperam admissus fuerit, succubuisse: Quandoquidem & ob aliam causam succumbere potuit, quàm ob justitiam exheredationis; veluti, quòd post tempus querelæ instituendæ egerit, vel quòd renunciâsse querelæ probatus fuerit, vel ob quid aliud hujusmodi. Quòd verò Imperator in §. 3. Inst. de adopt. causam exheredationi non adjicit, ratio est, quod circa emancipationem causam à magistratu cognitam intelligit, exheredatio autem non causam cognitam, sed privatim, fieri solet. Nec ad eò cau-*



Sam emancipationis in malam partem hinc accipimus; cum Bach. aut Fabro (qui in *Jurisp. Pap. pag. 491.* statuit, non ullam emancipandi causam justam esse posse, quam quæ justa causa sit exheredationis) aut Saliceto, & Bodeo, qui saltem ad hoc, ut quartam habeat impubes emancipatus, delictum in causa esse oportere docet, hic in *d. §. 3. Inst. h. t. ille in l. 4. in. f. C. de emãcip.* sed etiam tunc justè emancipatum asserimus, cum causa honesta & filio minimè imputabilis, in cognitionem deducta & approbata est, veluti, si vel pater in eum morbum inciderit, ut rebus suis impuberisve rectè gerendis superesse nequeat, vel publicis muneribus coeperit distringi, aut bellorum periculis ingruentibus, metuat, ne si eum retineat in potestate, cogatur de ejus bonis durius aliquid constituere in necem impuberis, propter potestatem, v. *Donel. 2. comment. 23. n. 40.* vel in eventum emancipationis heres institutus sit, aut legatum ei relictum, *l. si cui 92. ff. de cond. & demonstr.* Vel ipse impubes sub conditione emancipationis institutus à quoquam fuerit, *glos. prior. in d. §. 3. Inst. h. t. verbo nisi causa.* Ex omnibus nempe istis, & similibus causis, cognitione præcedente, justa emancipatio est, non tantum ut bona sua recipiat impubes, sed etiam ad hoc, ut quartam perdat, *l. fin. ff. si quid in fr. patr. d. glos. prior.* Atque ex hoc amplius patet, Justinianum causæ justitiam, quæ ex delicto sit, non magis in emancipatione, quam in exheredatione spectasse; non quod eam nusquam considerari oporteat, sed quod tale delictum vix in impuberem cadat. Ulterius, cum ob delictum exheredationi sufficiens emancipatus fortè esset impubes, olim ne bona quidem pristina, ut per arrogationem pleno jure patris facta, aliter, quam si & intra puertatem decessisset impubes, restituenda fuisse crediderim; hodie, cum bona maneat ipsius impuberis, res dubitatione caret.

6. Dicitur, si exheredaverit arrogator impuberem immeritum, huic deberi quartam. Quid si præterierit? Etiam tunc deberi, docet Accursius in *d. §. 3. verbo exheredaverit.* Existimo non pertinere huc constitutionem Pii; sed arrogatoris testamentum casu hoc nullum rectè dici, & succedere impuberem

rem



99  
se suū ab intestato, q̄ disertè negat Salicet. in l. 2. §. 3. C. de adopt.

7. Non autem ad hanc quartam cautio superior porri-  
gitur, ut rursus d. loco n. 6. in pr. malè docet Vultejus. item Treutl. vol. 1.  
disp. 2. th. 8. lit. E. nec minùs Bach. d. pag. 213. n. 14. & Alibuf. d. l. V. d. §.  
3. Inst. & l. 18. 19. 20 ff. & l. 2. C. de adopt. Licet ejusdem constitu-  
tionis principalis auctoritate, quā cavendi necessitas arrogato-  
tori imposita est, etiam quarta hæc impuberi arrogato data  
sit. præter d. loc. Ulp. d. l. 40 ff. de vulg. & pupill. & d. l. fin. ff. si quid in fr.  
patroni. Quin vel ex eo hujus sententiæ nostræ, quam &  
gloss. & communiter Dd. amplectuntur, veritas patet, quòd  
alii sint, in quorum commodum cavetur de bonis restituen-  
dis; ipse verò impubes, cui ob emancipationem vel exhære-  
dationem unā cum bonis quarra debetur.

8. Porro cautionem quidem de bonis restituendis in ca-  
sum mortis, non ultra spectare, quā, si arrogatus intra pu-  
bertatem decesserit, induhitatum est. d. §. 3. Inst. & l. 20. pr. ff. de  
adopt. Post enim & tabulæ pupillares per se evacuatur, §. 86  
Inst. de pup. subst. & legitimis hæredibus arrogatus aliter, si velit,  
consulere potest, desiderando nempe ut emancipetur, l. non-  
nunquam. 32. & seq. ff. de adopt. vel, si arrogator jam decesserit, suo  
jure testando. Et, si velle fortè ob quam causam nequeat,  
potior tamen hoc casu est causa arrogationis, quæ intercessit,  
quā prioris conditionis. At, num quarta in casum eman-  
cipationis vel exhæredationis debita, etiam puberi emanci-  
pato vel exhæredato, qui impubes arrogatus est, debebitur?  
Ita sentit Faber d. princ. 1. illat. 12. Contrarium tamen (quod  
& Cynus probat ad h. l. 22. n. 17. inf.) procul dubio est verius:  
quod ex omnibus locis, quibus de quarta hac mentio est, (in  
quorum sanè nullo puberis exemplum reperire est, cui quar-  
ta debeat) satis clarum esse arbitror. Et suffragatur rati-  
o, tum quòd, circa emancipationem quidem, puberibus, ut  
judicio solidioribus, imputari magis possit, quòd se absque  
causa emancipari passi sint; cum vel præter infantes nemo in-  
vitus aut non consentiens, patria potestate liberetur. Paul. 2.  
sent. 25. §. fin. l. pen. C. de emancip. Nov. 89. c. 17. in pr. tum quòd cau-  
sa ostendi nequeat, cur puberibus eò, quòd impuberes arro-

A 3

gati





gati essent, magis favere debuisset princeps, quam si puberes facti se arrogandos præbuissent; maximè, cum omnis arrogatio fiat cum causæ cognitione, eaq; diligentiore arrogatio impuberis. l. 15. & 17. ff. de adopt. Et curiosum nimis est, quod ex l. quidam. 132. ff. de V. O. hinc Faber considerat.

9. Est autem Quarta hæc impuberi relinquenda, universorum arrogatoris bonorum, & tamen portionis ab intestato debitæ quarta. Sanè nec meliori conditione liberos adoptivos, quàm naturales, nec emancipatos aut exheredatos institutis, vel in potestate retentis (quibus haud plus, quàm quartam portionis legitimæ, præcisè deberi constat) esse convenit; neq; hos propter illos debito suo naturali oportet fraudari; nec denique sententia admittenda est, casu aliquo non impossibili (veluti si liberis quinq; arrogatis, singulis deberetur quarta) impossibilis. Unde, dici non potest, quartam hanc esse aliam, quàm legitimæ, h. e. ab intestato debitæ portionis: quam tamen jura nostra discretè dicunt universorum bonorum, d. §. 3. Inst. de adopt. in fin. l. fin. ff. si quid in fr. patroni. l. 2. C. de adopt. respectu scilicet habito ad casum ordinarium, unius arrogati, nullis aliis existentibus liberis. v. l. 15. §. pen. & ult. l. 17. §. 2. in fin. & §. 3. ff. de adopt.

10. Et cum igitur quarta hæc sit ipsa illa portio, quam legitimam vocant interpretes, eandemque portionem ex bonis arrogatoris, præter bona quæ ad ipsum transtulit, quorumq; commodum ei poste acquisivit, habere impuberem voluerit constitutione sua Pius, quam communi jure ex bonis parentum suorum, tanquam naturæ debitum & æs alienum, habent liberi naturales; omninò rectè post Petr. Cyn. & quosdam alios, infert contra communem Doctorum scholam Bachovius in d. §. 3. Inst. de adopt. & in commentario ad pr. part. ff. pag. 216. eandem quoq; vi Nov. 18. c. 1. auctam esse, tanto magis, quòd absurdum esse videatur, impuberis hac parte deteriores conditionem statuere, quàm puberis arrogati, cui legitimam auctam esse, omninò fatendum est.

11. Ex quo porrò consequitur, sicut olim quarta constitutionis Pii (prout & Falcidia, quippe quartæ legitimæ portionis

nis



nis querelam tunc excludentis, par. l. 8. §. 9. ff. d. inoff.) exclusie querelam inofficiosi. d. l. 8. §. 15. quæ procul dubio competiisset, non minùs quàm liberis naturalibus, si constitutio Principis quartam non dedisset, l. 132. ff. de V. O. Jas. in h. l. 22. col. antep. Cyn. in h. l. 22. n. 17. Bach. ad Tr. vol. 1. d. 2. th. 9. lit. E. Illig. ad Don. 2. comm. 22. lit. K. ita post d. Nov. 18. trientem vel (qui casu tamen rarior) semissem, eandem exclusisse. Cæterùm, cùm hodie per Nov. 115. c. 3. pr. & c. 5. pr. sola hæredis institutio removeat querelam, an hodie impubes arrogatus nec emancipatus, testamento arrogatoris exheredatus, propter id, quod ex constitutione habet, queri de inofficioso prohibendus? Haud crediderim: cum prohibendi ratio olim non fuerit alia quàm quòd haberet aliunde id, quod quolibet modo testamento datum querelam excluderet. Unde efficitur, si hodie beneficio constitutionis non habeat, quod querelam excludit, querelæ locum esse. Idq; nunc eò minus dubitandum viderur, quòd non, ut olim tempore Pii, bona arrogati transferantur pleno jure ad arrogatorem. §. 1. Inst. de acquis. per arrog. eoque non ampliùs beneficio constitutionis impuberes præpuberibus bona sua habeant præcipua & extra quartam trientemve, sed jure communi. Diss. Salicet. d. l. 2. C. h. t. n. 3.

12. His ita de utroque constitutionis principalis capite præmissis, ad textum initio propositum propiùs accedimus. Si arrogator decesserit, ait J. Crus, impubere relicto filio adoptivo. Pura cui vel debeat quarta ex const. Pii, vel non debeat. Et mox impubes decedat, adeoq; si modò in potestate decesserit, committatur cautio supra dicta de restituendis bonis: sed committatur post mortem arrogatoris.

13. An hæredes arrogatoris teneantur? Cur hoc tanquam dubium proponit J. Crus? Nam quod ad bona attinet, quæ ad arrogatorem impubes transtulit, sciri facilè videbatur, ea restituenda esse ab hæredibus arrogatoris, ut in quos obligatio ex cautione, vi aditæ hæreditatis descenderat: & quarta itidem solvendæ obligationem eisdem incumbere, protinus videbatur apparere, cùm, sive testamento illa relicta esset, deberetur ex testamento, sive non disertè relicta esset, conditio ex lege  
(quæ



Quæ hoc casu datur. Cyn. hic, n. 18.) in hæredem necessario tribueretur, quando quidem quarta bonorum qua mortis tempore relicta fuit ab arrogatore, quæque relinquere jussus esset, non nisi post mortem ejus præstari posset. Respondeo, bona quidem arrogati quod attinet, horum ex cautione restituendorum casum, hic vivo arrogato, qui cavet, non exstitisse, adeoque nondum nata obligatione arrogatorem decessisse proponi: operæ pretium igitur fuisse, etiam in hac specie nominatim docere vim transmissæ spei, non minus ac in aliis speciebus passim à JCris factum, v. l. 57. ff. de V. O. & alia loca passim. De quarta etiam monendum fuisse, non tam propter regulam veterum, ab hærede vel contra hæredem non incipere actionem, quæ non competierit defuncto vel contra defunctum, quippe cui constitutio Pii in hoc casu singulariter derogarat, quam partim, quod petitioni hæreditatis, aut partis ejus, similis videretur quartæ petitio, quæ non nisi hæreditate adita transmitti posset; partim item propter impuberis mortem, cui debebatur quarta, cujusque, & non aliorum, favore, quartam inductam constabat.

14. Et dicendum est, hæredes quoque restitutos, &c. Affirmat JCtus quæstionem propositam, de bonis quidem arrogati per sam auditam rationem; de quarta etiam, tum, quod personalis actio, petitioni hæreditatis haud similis, sed quæ ipsa defuncti persona fuisset obstricta, hic esset; tum, quod impubes arrogatori supervixisset, adeoque jam natam quartæ petitionem ad hæredes transmisisset. l. 1. §. 21. ff. de collat.

15. At, hæredes. Si casum cautionis solum, tunc quando non simul debetur quarta, spectemus, vel intestatus decessit arrogator, vel cum testamento. Si cum testamento; vel institutus est arrogatus, vel justâ causâ (nam si immeritò, competeret quarta) exheredatus. Si exheredatus, instituti hæredes restituent procul dubio bona. Vid. infra n. 20. Si institutus ipse, & solus, perspicuum est, ipsum, & non alium, hæredem arrogatoris factum, adeoque obligationem, quæ ex cautione est, in ipsum translata fuisse. Tenebuntur igitur ipsius impuberis hæredes, restituere bona ad arrogatorem translata, iis, quibus ea

ex



ex cautione debentur, quatenus non sunt ipsi hæredes impuberis. Exemp. grat. Superest arrogato impuberi frater adoptivus, is procul dubio erit hæres impuberis defuncti, & substituto illi à patre naturali dato ( qui nunc quidē, postquam impubes mortis tempore suæ potestatis inventus est, bonorum possessionem ex tabb. pupillaribus, quondam per arrogationē extinctis, amplecti poterit. §. 6. *Inst. quib. mod. test. inf. at sine re, per l. 12. in f. pr. ff. de injusto, rupto.* ) restituet bona pristina arrogati. Substituto non existente, si præter fratrem adoptivum adsit etiam frater naturalis, hi hodie per *Nov. 128.* simul erūt hæredes impuberis, & jure successionis obtinebūt cætera bona arrogatoris. An & bona pristina arrogati? Dico, cum non nisi propter arrogationem factā, frater naturalis fratrem adoptivum impuberis habeat cohæredem, & arrogatio omninò salva successione legitimorum hæredum, qui futuri fuissent citra arrogationem, fieri debuerit, fratrem naturalem vi cautionis bona illa pristina ex communi hæreditate repetiturum ac deducturum. Si frater adoptivus solus sit, utique cognatis defuncti impuberis, vi cautionis, bona illius pristina restituet. Si frater naturalis solus, aliive cognati sint, propriores defuncto impuberi, quàm sint agnati ex familia adoptiva; hi procul dubio ejusdem hæredes erunt casu proposito, & jure successionis omnia ejus bona, pristina & adjecta, obtinebunt. Si impubes ab arrogatore non solus, sed *cum aliis institutus sit*, illius hæredes & cohæredes eodem modo & jure, quo hæredes impuberis solius instituti restituere diximus, bona pristina restituent, eodemque modo & jure illa hæredes ex communi hæreditate deducant: cætera arrogatoris bona inter se hæredes & cohæredes impuberis partientur. Si *intestatus* decellerit arrogator, legitima hæreditas ad impuberem arrogatum, ut suum, pertinuit, eoque casu idem juris est, quod in casu institutionis.

B

Cùm



Cum hoc aphorismo legitimorum hæredum impuberis mentio sit, non possum, quin hinc obiter notem quorundam interpretum locordiam, docentium, etiam arrogatos, nisi sint adoptati ab ascendente, non habere jus succedendi in familia adoptiva (puta ex latere) nec his ex familia adoptiva succedi. v. Schneidvv. ad Inst. lib. 3. tit. 1. in tertio ordine succed. n. 41. Georg. Schulken in synops. Inst. pag. 275. Treutl. vol. 2. d. 15. tit. 5. Ubi in hanc rem nihil à censore ipsius dictum miror. Quasi verò distinctio adoptionis, ab ascendente aut extraneo factæ, etiam ad arrogationem pertineat; quod expressis textibus, § 2. Inst. de adopt. & § 4. Inst. de her. qua ab int. def. & l. 10. C. de adop. per tot. imprimis § fin. repugnat. Rectius igitur de successione impuberis arrogati docent, quod ad hunc quidem articulum, Ant. Fabo jur. pap. pag. 505. Bachov. in comment. ad l. p. ff. pag. 217. Althus. dialog. lib. 1. c. 59. n. 7. item Forster. de success. lib. 8. c. 14. ab antè nominatis Dd. perperam citatus. Attamen illud minimè probo, quòd Faber, dicto loco, censet, fieri non posse, ut pupillus moriens in adoptiva familia, eos habeat successores legitimos, quos haberet arrogatione non facta. Imò hoc fieri posse sentio (licet olim, ne jure quidem codicis potuerit) vi Nov. 118. jus cognatorum & agnatorum undique exequantis, eoque juris anterioris hunc articulum, quòd qui in adoptiva familia esset, genuinam familiam nullatenus contingeret, emendantis. conf. Forst. d. tr. lib. 5. c. 3. n. 9. & seqq. ubi ex hoc principio jus ejus, qui alicui ascendenti à patre in adoptionem datus est, asserit: etiam Bachovianam ad Tr. vol. 1. disp. 2. t. 9. lib. E verb. iis qui alias. inf. Succederur igitur omninò pupillo in adoptiva familia mortuo, tam ex adoptiva, quàm pristina familia. Emancipato ab arrogatore, tantum ex familia pristina.

16. Si casum quartæ simul debitæ consideremus, debetur ea vel ex Emancipatione, vel ex capite exheredationis. Si ex emancipatione, restitutio fiet cum quarta, etiam bonorum pristinorum, si illa, cum emanciparetur impubes, illicò non recuperaverit. Juris enim est, ut hoc casu illicò sua bona ipsi arrogator reddat. §. 3. v. 5. non aliter. Inst. de adopt. Ubi justè quidem, h. e. causâ cognitâ, emancipati mentio est: sed multò magis



gis id præstandum non justè emancipato, Sin ob exheredationem debeat quarta, unâ cum quartâ, pristina bona restituenda sunt. quæ quidem hoc casu tam ex cautione, quàm ob causam quartæ debent, ut quæ semper bona pristina secum trahit, d. § 3. in fin. *Inst. de adopt.* restituenda veniunt. Solvent autem & quartam hæredes arrogatoris, uti dictum. Quid, si arrogatus cui ex causa emancipationis quarta debetur, institutus sit, hæres ab arrogatore? Si adita hæreditate decesserit, consumpta est indubiè quartæ petitio; nisi in fraudem illius, legatis & fidei commissis exhausta esset hæreditas. Tunc enim totum constitutionis debitum (& si antè non receperit, bona quoque pristina) detrahendi jus erit.

17. *Alt Jurisconsultus, restitutos bona arrogati.* Olim tempore constitutionis factæ, & Ulpiani, usque ad justinianum, bona arrogati pleno jure fiebant arrogatoris, ut jam ante notatum. § 1. *Inst. de acquis. per arrog.* *Cai. in fragm. lib. 2. tit. 2. in pr.* Cujus rei vestigia procul dubio sunt in l. 15. *pr. ff. de adopt. l. pen. § 2. ff. de bon. poss. sec. tab. & alibi.* locis nunc ob harmoniam juris, aliter, quoad fieri potest, interpretandis. Ea que potissimum erat cautionis utilitas, ut illis conservaretur jus suum, qui, arrogatione non facta, successuri pupillo fuissent. v. *sup. n. 4.* Nam & legitimis hæredibus intervertebatur jus suum, cum bona fierent arrogantis, & filius familias hæredem habere non posset. substitutio quoque pupillaris à patre naturali facta, per arrogationem, ut capitis diminutionem, exstinguebatur. l. 17. § 1. *ff. de adopt. Inst. § 4. quib. mod. test. infi.* & si jure prætorio fortè tabule pupillares reviviscerent, tamè substitutus, si quid inde caperet, ea bona, quæ jam arrogatoris facta, ab eoque præmortuo relicta essent, capere non poterat. Jus vetus postea à Iustiniano mutatum, dispositumque, ut tam filii familias adoptivi, quàm naturales, domini rerum suarum, quas à patre nati haud essent, ipsi essent ac manerent, usu fructu earundem patri concessio. § 2. *Inst. de acquis. per arrog. l. 6. C. de bon. qua lib.* ut que ipsi filii familias hæredes habere possent. d. § 2. *item pr. Inst. quib. non est perm. fac. test. l. 3. & 4. C. de bon. qua lib.* Restituuntur igitur nunc hæredes arrogatoris bona ad arrogatorem allata, quæ nunquam ejus facta sunt,



sunt, sed in dominio impuberis permanserunt, nisi fortè res culpâ arrogatoris deserint existere, aut estimatæ datæ sint. Sed nec post pubertatem arrogati, hodie retinebunt bona illa vel arrogator, vel hæredes ejus, nisi sint arrogati hæredes.

18. *Et præterea quartam partem* Intellige & præter bona quartam ab hæredibus præstandam esse, quoties illa debetur. Dictum enim initio, agi de impubere, cui quarta vel debeatur, vel minùs. Item intellige, cum quarta bona restitui, si non antè hæc, post emancipationem puta, reddita sint, itidem juxta superiora.

19. At quibus & bona restituentur, & quarta, hoc casu, impuberis post arrogatorem mortui? Rursus hic vel *casum cautionis*, h. e. eventum pupilli arrogati intra pubertatem decedentis, *solum*, spectamus, vel *casum quarta simul debita*. *Primo* casu bona ejus pristina ad substitutum antè datum pertinent; cætera ab arrogatore quæ sita (veluti si hæres ei fuerit factus) ad hæredes legitimos quoslibet tam ex naturali, quàm adoptiva familia, transeant. Si non adsit substitutus, etiam hæredes quilibet non tantùm cætera bona capiunt, sed & propria, quæ tamen vi cautionis restituenda illis legitimis hæredibus, quos citra arrogationem factam pupillus haberet. *Casu altero* substitutus quidem ante datus procul dubio pristina impuberis bona vi cautionis obtinebit; quarta autem & cætera bona, legitimos hæredes, quoscunque illi sint, sequentur. Ac hi item, substitudo deficiente, quartam capient. Sed & reliqua ab arrogatore fortè quæ sita, eorundem erunt: bona autem pristina soli cognati obtinebunt, quippe quorùm & hoc casu, quo bona illa non tantùm vi cautionis, sed & ob quartam, quæ semper ea secum trahit, debentur, causa in iis auferendis est potior. Denique, quod & de bonis ab arrogatore quæ sitis, & quarta, diximus, id tunc obtinere intelligendum est, cum arrogator impuberi non substituit. De quo post plura.

20. Quod si igitur cognati impuberis jure suo,  
totam



totam impuberis hereditatem auferre possint, et tunc in ipsorum arbitrio, omnia hereditate, bona pristina vi cautionis amplecti? Existimo, inspecta mente Principis cautionem injungentis, adeoque sine cautionis, nempe, ut, si arrogatus intra pubertatem decederet, omnia in pristino statu essent, non etiam, ut quæ deinceps, propter arrogationem evenirent, exitum haberent. Et omnino actio ex cautione, non est in hereditate impuberis, sed ipsorum, substituti aut legitimorum, propria est. Cum tamen bona illa pristina hodie in hereditate impuberis sint, patet, ea transire ad heredes impuberis, quicunque illi demum sint, restituenda nihilominus, uti dictum.

21. Dices: Actio personalis ex cautione adversus arrogatoris, ut promissoris, heredes dirigenda: fieri autem potest, ut non illdem sint heredes arrogatoris, qui impuberis: quod cum accidit, an & impuberis heredes ex cautione conveniri poterunt? Respondeo, si quidem bona sint apud heredes impuberis, vel utili actione teneri, vel heredes quidem arrogatoris conveniendos in hoc, ut condicant ea ab heredibus pupilli, & tradant, aut in hoc, ut conditione cedant. Tempore Jurisconsulti, auctoris hujus textus quem tractamus, tali disquisitione non fuit opus.

22. Vidimus principium legis nostræ. Sequitur ejusdem paragraphus primus. Quærit. Ulp. deinceps, an impuberi arrogator substituere possit? Et puto, inquit, non admitti substitutionem, nisi fortè ad quartam solam. Scitissimum est ex l. 2. pr. ff. de vulg. & pup. subst. & pr. Inst. de pup. subst. patrem liberis suis impuberibus, quos in potestate habet, pupillariter, sive in eventum, quo moriantur intra pubertatem, substituere, h. e. testamentum facere posse. Idque in d. l. 2. in fin. pr. item in l. 10. § 6. ff. eod. nominatim ad liberos adoptivos porrigitur. Arrogator itaque noster etiam impuberi non emancipato, jure suo substituet, sive instituto (quo casu ex constitutione Pii quarta non debetur) sive ex herede scripto (quo propter idoneam causam facta, rursus quartæ nulla petitio est) § 4. Inst. de pupill. subst. d. l. 10. § 5. ff. de vulg. & pup. Quid igitur & hic jurisconsultus de substitutione arrogatoris



impuberi facienda dubitat? imò, qui censet, non admitti substitutionem, nisi fortè ad quartam? Respondeo, non substituendi jus, sed effectum substitutionis factę spectari, perfectam puta bonorum impuberis translationem.

23. Ait Ulp. *Fortè*, innuendo dubitationem, quę vel de quarta per substitutionem transferenda fuit inter J. C. *l. 10 §. 6. ff. de vulg. & pup. subst.* Ait, *quartam solam*; in oppositione ad cętera bona, quorum nomine cautio interposita, alioquin & alia pręter quartam, ad substitutum pertinere, constat *ex d. l. 10 §. 6.* Porro cętera illa bona, quę ante arrogationem impubes habuit, aut habiturus fuisset, etiamsi non fuisset arrogatus, etiam hoc casu pertinent vel ad substitutum antè à patre naturali datum, vel hoc deficiente aut nō dato, ad cognatos impuberis, qui arrogatione nō facta ipsi successisset. Verum hoc casu neq; substitutus autè datus, ex tabb. pupillarib; illis priorib; bonorū possessionē posset agnoscere, etiāsi per eā rem haberet; neq; cognati impuberis, hereditatis jure illa bona appetere. Nam quod ad substitutum attinet, licet regulariter jure prętorio tabb. pupillares redintegrentur, h. e. agnoscendę secundum ipsas bonor. possessioni fiant idoneę, si impubes tempore mortis sit paterfamilias, *d. §. non tamen. Inst. quib. mod. test. inf.* attamen id fieri nequit, aliis tabulis postea eidem impuberi factis. Intelliguntur enim tabb. pupillares ipsius impuberis testamentum. Sicut igitur posteriori testamento ab eodem facto, rumpitur prius, ita & posteriori ab alio eidem facto; eòq; casu ne jure quidem prętorio testamentum prius utile est, nisi interdum, posteriori rursus abolito. *v. l. pen. §. 2. ff. de bon. poss. sec. tabb.* Quod ad cognatos; ne illi quidem successionem hęc allegabunt, quia testamentarium heredem impubes habet, adeoq; successioni legitimę non est locus. Unicè igitur vi *cautionis* bona illa vel ad substitutum antè datum, vel ad cognatos impuberis pertinent.

24. Ex quo amplius patet, neque hoc casu illud accidere, ut contra reg. juris idem pro parte testatus pro parte intestatus decedat; neq; illud, ut cum duobus testamentis moriatur impubes, quorum utrumq; considerat, ac posterius, ceu inevitabile, admittit Accursius in *b. l. verbo: si arrogator.*



25. Restituet igitur ista bona substitutus ab arrogatore datus, si modò is quoque arrogatori, qui cavit, hæres sit. Fieri enim, potest, ut non sit, veluti impubere exheredato, alioq; hære scripto. Quid ergo si non sit? Tunc hæredes arrogatoris vel ad restituendum bona (quæ tamen interim, cum impuberis fuerint, procul dubio substituto jure hæreditatis quæ sita sunt) si habeat ea, vel si substitutus habeat, ad condicendum tradendumq; aut cedendum actionem urgendos existimo. Sed & spectato cautionis ab arrogatore interpositæ siue, substitutum ipsum, si possideat bona, utiliter conveniri crediderim. *conf. sup. n. 20.* Haud sanè erit in potestate arrogatoris, illos, quibus cautione consultum esse debebat, substituendo fraudare. *d. l. 10 §. 6 ff. de vulg. & pup. & h. nrâ.*

26: Effectus demum substitutionis hujus erit hic, ut pupillo intra pubertatem mortuo substitutus habeat (1) quartam, si illa impuberi debita. (2) id quod ab arrogatore consecutus est impubes. (3) quod nactus est occasione arrogationis, & propter eam; ut si amicus vel cognatus arrogatoris ei aliquid reliquerit. *d. l. 10. §. 6.*

27. Ait Ulp. *Et hætenus, ut ei usq; ad pubertatem substituat, scilicet pubertate finitur pupillaris substitutio, quæ hætenus admissa est, §. penult. Inst. de pupill. subst.* Pergit: *Cæterum si fidei ejus committat, ut quandoq; restituat, &c.* Substitui à pagano puberibus, aut post pubertatem, propriè, h. e. directò, non potest. *§. fin. Inst. d. l. 7 ff. de vulg. & pup. fidei committi, ut quandoq; restituat hæres, potest. ibid.* quam substitutionem fidei commissarium Dd. appellant. Sed negat hic JCrus admitti fidei commissum in quarta: addita ratione; *quia non iudicio ejus ad eum pervenit, sed principali providentia, nempe ex constitutione Pii, ut dictum: qui quartam hanc pupillo, ut æ alienum, deberi voluit. d. l. 8. §. 15. ff. de inoff.* Vis rationis hæc est; quando arrogator impuberi quartam bonorum suorum relinquat per modum legati vel fidei commissi, non posse tamen eum restituere pubere eandem quartam, *quandocunq; moriatur;* quia non nisi debito videatur se expedivisse, cujus actionem habuerit impubes, adeoq; non ipsius arrogatoris, sed constitutionis beneficio relictum illud adscri-



bendum sit. Licet enim à fidei commissario & legatario fidei committi possit, tamen haud plus juberi restituere posse, quam iudicio relinquentis acceperit, scitum est ex §. 1. *Inst. de sing. reb. per fid. vel.* Unde consequetur, si non alterum tantum arrogator impuberi præter quartam reliquerit, quartam per fidei commissum transferre non posse. Addi potest & alia ratio: nempe quia pro legitima est quarta, legitimam autem fideicommissio gravare, vetitum est in l. 32. *C. de inoff. test.*

28. Tractavimus hætenus casum impuberis post arrogatorem defuncti: quid, si ante patrem arrogatorem decesserit? Ac de bonis quidem pristinis expedita res est, quippe quæ impuberi in potestate mortuo vel ad substitutum antè datum, vel hoc deficiente, ad cognatos, ut citra arrogationem legitimos hæredes, pertinent. Atq; illi quidem tantum cautio opitulatur, hi quandoq; & hæreditatis jure, saltem partem bonorum, vindicare possunt. Namq; & hodie, uti auditum, bona illa sunt ipsius arrogati, & filius fam. hæredem habet, & per nov. 118. c. 2. (ubi & in hoc articulo jus Institutionum & Codicis, quo fratres & sorores parentibus præferebantur, l. fin. *C. commun. de success.* correctum est,) fratres & sorores germani cum ascendentibus, tam patre arrogatore, quæ parentibus naturalibus, concurrunt. Si quid etiam occasione arrogationis ad impuberem, non ex re patris adoptivi, pervenerit, hoc casu hæredum legitimorum, quicumq; illi sint, esse perspicuum est. Si emancipatus, vivo arrogatore decesserit, rursus ad cognatos (nam familiæ adoptivæ tunc non est locus) & pristina, & cætera post arrogationem, non ex re patris adoptivi, quæ bona, jure successionis pertinent.

29. Cæterum de quarta, casu sine cognita causa factæ emancipationis (de exhæredatione enim hic frustra queritur, ante mortem testatoris) debitâ, elegans ac non levis questio est, an eam ad hæredes suos, impubes vivo arrogatore transmittat. Peti sanè ante mortem arrogatoris quarta nequit, ut apud omnes in confesso est; quippe quæ bonorum illo-  
rum



rum est, quæ arrogator tempore mortis habuerit. *l. fin. ff. si quid  
infr. patr.* Jus igitur petendæ suo tempore quartæ, h. e. acti-  
onem aut petitionem illius, an impubes transmittat hoc casu,  
quærit. Nego id cū *Jas. in addit. ad P. r. in d. §. 3. Inst. h. t. itē Cyno in pr.  
d. l. 22. ff. eod. n. 20.* (ubi tamen se fundat tantum in *l. un § 7. C. de caduc.  
toll. & l. heres meus. 79. § 1. ff. de condit. & demonstr.*) contra gloss. in *l. 1.  
§ 2. 1. ff. de collat. Ant. Fab. jurispr. Papin. tit. 10. pr. 1. illat. 12. Bachov. ad  
Inst. b. t. § 4. inf.*

30. Negativam hanc probo (1) ex collatione quæ-  
stionis & casus hujus, cum casu & quæstione superius tracta-  
tis, v. *sup. aphor. 12 inf. § 13.* Si impubes vivo arrogatore mortu<sup>o</sup>  
hæredi suo relinquit quartæ actionem, quæ ulla potuit esse  
dubitandi ratio in casu ejusdem post arrogatorem defuncti?  
(2.) ex eo, quòd constitutio Pii jubet *relinquere* quartam (pu-  
ta, post mortem) *Impuberi. d. § 3. Inst. b. t. d. l. 10. §. 6. ff. de vulg. &  
pup.* Frustrâ autem relinquitur ei qui esse desiit. Ergo nec an-  
tè transmittitur, cum non debeat, ante quàm relinqui de-  
buerit. Dices, *deberi* tamen quartam impuberi emancipato,  
simul ac emancipatus sit causâ non cognitâ. Respondeo, nō  
aliter deberi, ac legatario legatum jam nunc deberi dicitur,  
quod, *cum heres morietur*, aut sub conditione, relictum est: item  
non aliter, ac legitima vivo eo, ex cujus bonis debetur, qui quæ  
eam relinquere tenetur. Indubiè verò nec legati illius pen-  
dente conditione, aut ante mortem hæredis; nec legitime an-  
te mortem alterius, dies cedit. (3.) eo quòd omninò quarta  
hæc est vice legitimæ, aut potius ipsa legitima ex bonis arro-  
gatoris, v. *supra aphor. 9.* quam constitutio impuberi intra pu-  
bertatem noluit interverti. Quis autem unquam audivit, le-  
gitimam ante mortem parentum aut cæterorum transmitti?  
Aut cui non liquet, consilio ac voto imperatoris apprimè sa-  
tisfactum esse, si impubes arrogatori superstes demùm id ha-  
beat, quod naturalis ratio liberis post mortem parentum ex  
bonis eorundem deputat? Denique (4) per textum illustrem  
*d. l. 1. § 21. ff. de collat.* quem quidem Faber d. loco oppugnat,  
cæteri pro se allegant: omnes perperam. verba hæc sunt.

C

Si





*Si impubere arrogato . secundum Divi Pii rescriptum quarta debetur, videndum est, an, si patris naturalis bon. possessionem petat, conferre quartam debeat. Questio in eo est, an heredi suo relinquat quarta actionem, an non. Et magis est ut ad heredem transferat; quia personalis actio est. Igitur etiam de quarta conferenda cavere eum oportebit. Sed hoc ita demum, si jam nata est quarta petitio. Caterum si adhuc pater adoptivus vivat, qui eum emancipavit, dicendum est, cautionem quoque cessare. prematura est enim spes collationis, cum adhuc vivat is, cujus de bonis quarta debetur.*

31. De impubere arrogato & causa non cognita emancipato (qui, si id vivo patre naturali factum sit, ejus bonorum possessionem tam cont. tab. quam ab intest. agnoscere potest, perinde, ac si nunquam in aliena familia fuisset. *h. l. i. in pr. §. 10. Inst. de hered. que ab int. def.*) cuique ad eam quarta constitutionis Pii debetur, tractat hic Jurisconsultus, an, si is patris naturalis bonorum possessionem petat, cumque liberis in potestate relictis ad ea bona admitti se postulet (quo casu emancipati liberi sua quoque bona in medium conferre tenebantur) quartam illam quoque conferre oporteat. Ait igitur; impuberem quartam conferre, vel eo nomine cavere debere, si modo ejus actionem heredi suo relinquere possit; posse autem relinquere eo casu, quo jam nata sit; natam autem esse, cum arrogator decesserit; illo superstite, non esse collationi aut cautioni locum. Ex quo utique plus quam perspicuum est, neque transmittere aut heredi suo relinquere impuberem quartam vivo arrogatore.

32. Censet quidem Bachovius, natam esse actionem arrogatore vivo, at vivo tamen eo non esse de collatione cavendum; quia debeat quarta ad proportionem bonorum patris, quae futura sint tempore mortis, adeoque ante mortem, quanta futura sint, incertum sit; tum quia non teneatur quis cavere de eo, quod actu nondum petere potest. Sed (1) falsum est hoc postremum, conferendum non esse, quod actu peti nequeat. *v. l. 2. §. 3. ff. de collat.* (2) ait Jurisconsultus, de quarta conferenda cavendum esse, ita demum, si jam nata sit quartae petitio.

tio.



clo. Quòd si igitur viro arrogatore nata est quartæ petitio  
sive actio, ut sentit Bachov. utique cavendum etiam hoc vivo  
fuerit. quod is cum Jurisconsulto negat. (3) Illis verbis [ *ita de-  
mum, si jam nata sit quartæ petitio* ] statim oppositivè subjungit  
Ulp. illa: [ *Cæterum, si adhuc pater adoptivus vivat, dicendum est, cauti-  
onem quoque cessare.* ] Ergo hic casus, quo pater adoptivus vivit,  
est priori casui, quo nata actio quartæ, adeoque cavendum  
dicitur, oppositus. (4) Jurisconsultus disertè ait, quæstionem  
de conferenda quarta, aut cavendo collationis causâ (nam col-  
latio fit vel re, vel cautione. l. 1. §. 11. ff. de collat.) ex eo decidi, an  
hæredi suo relinquat quartam. nempe, quia nostrum perfectè  
non videatur esse, quod ita non est nostrum, ut ad hæredem  
transeat: imprimis actio, vel etiam spes debiti, in bonis nostris  
esse non intelligatur, quam hæredi nostro intermorientes re-  
linquere non possimus. Ex quo explicandum, quod in d. l. 2.  
§. 3. de eo, quod sub conditione ex stipulatu debeat, confe-  
rendo, de legato autem conditionali non conferendo, dicitur.  
v. gl. in h. §. 21. l. 1. de collat. in verbo: hæredi suo. Quòd si igitur ita  
est, ut inde efficiatur, conferendam esse quartam, aut hoc no-  
mine cavendum esse, quòd ea transmittatur, utique conferen-  
da per cautionem quarta fuerit vivo arrogatore contra Ulpi-  
anum; si vivo arrogatore ad hæredem transmitti poterit.

33. Anton. Faber contrà cum Ulp. negat, vivo arro-  
gatore natam esse actionem quartæ, ideoq; & hoc casu quar-  
tam conferri oportere, aut posse: Sed tamen vult de quarta  
conferenda ab impubere cavendum esse. Esse enim spem,  
eamq; certam, quartæ consequendæ, & conferendæ, eamq;  
spem, cum ipsa conferri nequeat, inducere necessitatem cau-  
tionis. Verba igitur illa: [ *Igitur etiam de quarta conferenda cavere  
eum oportebit* ] non ad casum proximè in textu præcedentem,  
quò vel quarta ipsa, vel quartæ actio, conferenda sit, sed ad  
casum, quò neque quarta, neque quartæ actio conferri adhuc  
possi, referenda esse, h. e. ad casum arrogatoris adhuc super-  
stitis. Nam si actio quartæ hoc casu nata sit, ipsam illam a-  
ctionem conferendam, non cavendum fore; cum & actiones  
conferri possint, & cautioni extra necessitatem non sit locus.



Porrò totam illam postremam clausulam, ab illis verbis [*Sed hoc ita demum*] usque ad finem §. erroneam, nec Ulpiani, sed vel Triboniani, vel imperiti alicujus interpretis esse: quod à tot clarissimis interpretibus visum non esse, mirandum sit. Sed mira profectò hæc jurium interpretatio, si quid non intelligas, illicò id rejicere, & imperito interpreti adscribere. Præsertim hoc loco id facere virum tanti acuminis, summo- perè mirandum est, ubi omnia accurata & elegantia sunt, optimèque coherent. Quæstionem proponit Jurisconsultus, an impubes arrogatus, cui ex rescripto Pii quarta debetur, eã conferre debeat fratri naturali? Ait, quæstionem in eo esse, an hæredi suo relinquat quartæ actionem. Et subjungit magis esse, ut ad hæredem transferat. Unde concludit; igitur etiam de quarta conferenda cavere ipsum oportere. restringit tamen illud ipsum statim ad casum, quo jam nata sit quartæ petitio, hoc est quo arrogator jam decesserit; quia hoc vivo præma-  
tura sit spes collationis. Quis non videt, Jurisconsultum hîc ex eo, quòd quartam hæredi relinqui dixerit, inferre, de quarta conferenda cavendum esse? Et erravit Faber in eo, quòd credidit, aliud esse Jurisconsulto, *conferre quartam*, & aliud, *de quarta conferenda cavere*: item cautioni non esse locum, cum vel res, vel actio conferri possit. Collationem fieri vel *re*, vel *per cautionem*, docet Jurisconsultus in *d. l. 1. §. 11.* Ergo & collata quarta, & edicto prætoris (quod ne rei quidem mentionem fecit, sed ita collationem fieri jussit, *ut rectè caveatur. §. 9. ibid*) satisfactum intelligitur, cum de quarta conferenda cautio interposita est. Cavendum omninò ab illo, qui divisionem cæterorum bonorum appetit, quoties incertum est, quantum sit illud quod conferendum est. *d. §. 11. inf.* Et incertum utique est, quantum sit in quarta, donec bonorum defuncti arrogatoris quantitas incognita est, licet actionem ejus consequendæ impubes habeat. Denique an spes certa sit quartæ accipiendæ, vivo adhuc arrogatore, est hoc ipsum, quod quarimus, quodque cum Ulp. negandum dicimus; licet propter certitudinem constitutionis, & casus secundum constitutionem existentis, eventusque adeò causâ, quarta etiam vivo arrogatore, & illicò, postquam causa debendi posita est, deberi dicatur.

*Soli Deo gloria.*







Errata quædam per festinationem & incuriam relicta.

Pag. 97. lin. 29. lege: ob aliam causam, jure vel injuriâ, succumbere. pag. 98. lin. 5. lege: ut quartam non habeat. pag. 101. aph. 12. lin. 5. lege: si modo in familia decesserit. pag. 102. lin. 6. lege: vivo arrogatore. Ead. pag. aph. 15. lin. 6. lege: Vid. infra n. 21. pag. 106. aph. 19. lin. 5. lege: ad substitutum antè datum, vel cognatos impuberis, vi cautionis pertinent. Ibid. lin. 8. dele verba: si non adsit substitutus, etiam: & tres integras lineas sequentes. Ibid. lin. 15. lege: substituto. pag. 110. aph. 28. lin. 17. lege: rursus ad substitutum antè datum (inspecta mente Pii, & scopo cautionis) vel ad cognatos. pag. 111. aph. 30. lin. 3. lege: vide sup. aph. 13. in f. & 14. Eod. aph. lin. 19. lege: V. supra Aphor. 9. & 10. pag. 112. aph. 32. lin. 5. lege: incertum sit. pag. 113. lin. 1. lege: vivo arrogatore.



142

S

I





Bremen, Diss., 1640-1774

ULB Halle 3  
004 515 48X




f

sb.


WDA











Farbkarte #13

B.I.G.

1749. N 40  
MISCELLANEOBUM  
Juris Civilis  
DISPUTATIO QUINTA,  
DE BONIS IMPUBERIS  
arrogati, & quarta bo-  
norum arrogatoris ei  
debita.

ad l. se arrogator. 22. ff. de adoption. & l. 1. §. 21. de collat.

DE QU  
JUVANTE DEO  
Præfide

GERHARDO COCH J. U. D.  
& Pandectar. Profefs.

Respondet  
JOHANNES AM ENDE  
Bremens.

ad diem 15. Januar. hor. locog solitis.



BREMÆ,  
Typis Bertholdi de Villiers scholæ typographi  
Anni M DC XL,